








JC 25

PAT 18P022
(1-6)




OFFICIA
SANCTORUM QUORUMDAM;

PAT 18P0241

Quæ in novis Supplementis desiderantur.


Ad usum Diœcesis Rivenſis.

JUSSU ILLUSTRISSIMI & REVERENDISSIMI DOMINI
DOM. PETRI DE CHARRITE
DE RUTHIE, Episcopi Rivenſis edita;



TOLOSAE,

Apud Viduam J. J. BOUDE, CLAUDIUM
ÆGIDIUM LECAMUS, & JACOBUM
LOYAU, dicti Dom. Ep. Typ.



M. DCC. X.

PAT 18P022

МАГИЧЕСКИХ ПРИЧИНОВ


и не вижу в этом ничего странного

из моих привычек, что я люблю читать
все что попадется под руку, и не заботясь
о том, чтобы это было интересно или нет.



Я 2010 г.
Фото: А. С. Григорьев
Изображение: А. С. Григорьев

2010г. 2010г.



DIE IX. FEBRUARII.

IN FESTO

SANCTÆ APOLLONIÆ

VIRGINIS ET MARTYRIS,

Duplex.

Omnia de Communi, præter hæc quæ sequuntur. Oratio, Deus qui inter cætera, &c. Si non venerit in Quadragesima, Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente; si vero venerit in Quadragesima, Lectiones primi Nocturni sumantur ex Communi Virginum, De Virginibus præceptum, &c.

Lectio iv.

Apollonia Virgo Alexandrina, tempore Decii, cum ingravescente jam ætate ad Idola sisteretur, ut eis venerationem adhiberet, illis contemptis, Jesus Christum verum Deum colendum esse prædicabat: quamobrem omnes ei contusi sunt & evulsi dentes; ac nisi Christum detestata, Deos coleret, accenso rogo vivam se combusturos mina-

A ij

4
ti sunt impii Carnifices : quibus illa , fe-
libenter mortem pro Jesu Christi fide su-
bituram , respondit .

R. Propter veritatem , &c.

Lectio v.

DIE IX HEI
ITaque comprehensa ut combureretur ,
cùm paulisper , quasi deliberans quid
agendum esset , stetisset , repente se de il-
lorum manibus proripuit , & in ignem ,
quem paraverant , majori Spiritus sancti
flammā intus accensā , sponte profilivit ,
stupentibus ipsis crudelitatis authoribus
quòd fœmina promptior esset ad mor-
tem , quām persecutor ad pœnam : un-
de brevī consumpto corpore , purissimus
spiritus in Cœlum ad sempiternam mar-
tyrii coronam evolavit .

R. Dilexisti iustitiam , &c.

Lectio vi.

Ex Sermone sancti Augustini Episcopi
de sancta Virginitate . Cap. 2.

CUM universa Ecclesia Virgo sit des-
ponsata uni viro Christo , sicut di-
cit Apostolus , quanto digna sunt hono-
re membra ejus , quæ hoc custodiunt ,
etiam in ipsa carne , quod tota custodit
in fide , quæ imitatur matrem viri sui ?
nam Ecclesia quoque , & virgo & mater
est ; cuius enim integritati consulimus ,

5

si virgo non est? aut cuius prolem allo-
quimur, si mater non est? Maria cor-
poraliter caput hujus corporis peperit:
Ecclesia spiritualiter membra illius capi-
tis parit; in utraque virginitas fœcundi-
tatem non impedit; in utraque fœcun-
ditas virginitatem non adimit.

Be. Affarentur Regi, &c.

*In tertio Nocturno Homilia in Evan-
gelium, Simile est Regnum Cœlorum
decem Virginibus, &c. 9. Lectio Homiliæ
Feriæ currentis, si venerit in Quadra-
gesima, & commemoratione Feriæ in Laud.*

DIE XIX. JUNII.

In Festo Translationis sancti Cizii
Martyris.

*Omnia de Communi unius Martyris;
preter ea quæ sequuntur.*

*Antiphona ad Magnificat in primis
Vesperis.*

*Sub militari veste Cizius austera vim
ducens, morum gravitate & modestia
omnium virtutum præclarum specimen
dabat. Alleluia.*

Oratio.

Deus qui populo tuo beatum Cizium
Martyrem tuum Patronum pie de-

disti : tribue , quæsumus , ut qui ejus na-
talitia colimus , ipsius meritis & inter-
cessione ab omnibus periculis eruamur.
Per Dominum nostrum , &c.

*Lectiones primi Nocturni , Fratres De-
bitores. De Communi plurimorum Mar-
tyrum.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Quo tempore Saraceni Hispaniâ po-
titi , superato Pyrenæi saltu , ad
quadraginta virorum millia in Galliam
irruerant , & majori parte Septimaniæ
occupatâ , vicinos etiam Tolosæ tractus
obtinebant , multis struttis mesquitis ad
ripam Garumnae , in finibus Comitatûs
Convenarum : inter alios , quos fidei ar-
dor accendit ad Christi hostes à partibus
Vasconiae repellendos , Cizius priscorum
Burgundiæ Ducum genere in Civitate
Bisuntina ortus , non minus pietate ,
quam bellicâ fortitudine præcelluit :
nam , ut passionis ejus perversta acta
testantur , sub militari veste austera vi-
tam ducens , morum gravitate & mo-
destiâ omnium virtutum præclarum spe-
cimen dabat. Pauperes de suis ac Caroli
opibus adjuvabat , nihilque de pietatis
operibus prætermittens , plurimos Infî-

deles ad Fidem Christianam convertit:
 Ferunt de illo, quod dum Caroli Magni
 vice fungeretur, in civilium causarum
 cognitione, eâ erat sagacitate, ut Causi-
 dicorum excusso fuso, ex Legum germa-
 na interpretatione, jus cuique, cunctis
 mirantibus, tribueret: nec minus de salute
 vulneratorum in bello sollicitus, si con-
 tingeret aliquem hostili sagittâ transfigi;
 quam manu propriâ extraheret, percus-
 sus gravissimo licet vulnere, Deo mira-
 bile curante, sanabatur.

R. Honestum fecit, &c.

Lectio v.

His dotibus prædictus Christi Miles
 Cizius, tertiae parti Equestrium ma-
 nipulorum à Carolo Magno præficitur,
 cum qua planitiem dictam Garumnæ in-
 gressus, Infidelium munitiones expugnat,
 qui dum collato numerosissimo exerci-
 tu, obviâm procedunt, sanctus Cizius
 copiaruin suarum cuneos circuibat, seu
 cingebat more suo (à quo Cizium dic-
 tum volunt) his verbis accendens Com-
 militones: Bellate viriliter, & lucrabi-
 mini cœlestem Coronam; Infideles isti
 pro thesauris terrenis dimicant, nos pro
 gloria sempiterna; nec terreat multitu-
 do: mementore mirabilium quæ fecit

Dominus in expugnandis Infidelium munitionibus. His dictis, pergit ad hostes; sed dum fortiter dimicans, densissimas manus penetrat, ab Infidelibus circum-
quaque vallatus capitur. Oblatâ statim conditione servandæ vitæ, si Mahometi fidem amplectetur; ipse verò renuens, Christum crucifixum adorat mente piâ, & martyrii cupidus, à Domino exauditur, cùm Infidelium rabie in Christi Martyrem laxatâ, malleatus occiditur.

R. Desiderium animæ ejus, &c.

Lectio vi.

Sed ultor Christianorum exercitus de nece Ducis ferocior, non distulit pœnam; nam deleto Agarenorum exercitu, planitiem corporibus stravit, & Carolus Magnus cum Proceribus exercitus, in ipso certaminis loco, qui nomen sancti Cizii servat, sacrum Corpus tumulo marmorico condidit. Dumque tantus Princeps, torque Militum millia, qui testes conversationis & exitus Cizii fuerant, Christi Martyrem profitentur, huic duplicis palmæ Victori, Capellam ex fragmentis disruptionis hostilium munitionum construunt, ubi infinita miracula operatur clementia Salvatoris. Quibus ritè cognitis & probatis, Episcopi Tolosani

Tolosani sanctorum Martyrum Ecclesiae
suæ Catalogo annumerarunt , proprio
Officio in ipsius natali die attributo. Ac
demum erecto Rivense Episcopatu , sa-
cræ Martyris Reliquiæ in Urbem Rivo-
rum translatæ sunt , ubi duplici Festo ,
Natalis & Translationis Reliquiarum ,
magno populi concurso , sancti Martyris
memoria singulis annis celebratur.

R: Stolâ jucunditatis , &c.

IN III. NOCTURNO:

Lectio vii.

*Lectio sancti Evangelii secundum
Matthæum. Cap. 10.*

IN illo tempore , dixit Jesus Discipulis suis : Nolite arbitrari quia pacem
venerim mittere in terram : non veni pa-
cem mittere , sed gladium. Et reliqua.

Homilia sancti Hilarii Episcopi.

Quae est ista divisio ? inter prima
enim legis præcepta accepimus :
Honora patrem tuum & matrem tuam :
Et ipse Dominus ait : Pacem meam do
vobis , pacem meam relinquo vobis.
Quid sibi vult missus potius gladius in

terram, & separatus à patre filius, &
filia à matre, & natus adversus socrum,
& hominis domestici, ejus inimici? Igi-
tur exinde publica auctoritas impietati
præfertur: ubique odia; ubique bella,
& gladius Domini inter patrem & fi-
lium, & inter filiam matremque desæ-
viens.

R. Corona aurea super caput ejus,
&c.

Lectio viii.

Gladius omnium telorum telum
acutissimum est, in quo sit jus po-
testatis & judicij severitas, & animad-
versio peccatorum. Et hujus quidem teli
nomine novi Evangelii prædicationem
appellatam frequens in Prophetis aucto-
ritas est. Dei igitur verbum nuncupatum
meminerimus: in gladio: qui gladius
missus in terram est, id est prædicatio
ejus hominum cordibus infusa. Fitque
gravis in domo una dissensio, & domes-
tica novo homini erunt inimica: quia
ille per verbum Dei divisus ab illis, ma-
nere & interior & exterior, id est & cor-
pus & anima, in spiritu novitate gau-
debit.

R. Hic est verè Martyr, &c.

Lectio ix.

Pergit deinde eodem præceptorum & intelligentiæ decursu : nam postea quæ in relinquenda omnia quæ in sæculo charissima sunt , imperaverat , adjecit a Qui non accipit crucem suam , & sequitur me , non est me dignus : quia qui Christi sunt , crucifixerunt corpus cum vitiis & concupiscentia . Et indignus est Christo , qui non crucem suam , in qua compatimur , coimmorimur , consepelimur , conresurgimus , accipiens , Dominum sit secutus , in hoc Sacramento Fidei , spiritus novitate victurus .

Te Deum , &c.

benedictus
Antiphona ad Allographia.

ellate viriliter , Infideles pro terre thesauris dimicant ; nos vero pro sa semperna . Alleluia .

*Antiphona ad Magnificat in secundis
Vesperis.*

Cizio martyrii cupido , desiderium næ suæ tribuit Dominus , cum ab delibus pro nominis sui gloria malus occiditur . Alleluia .

DIE II. INFRA OCTAVAM.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Sermo sancti Ambrosii Episcopi.

Tantus Christi testis pretiosus confessione, pretiosior sanguine, crudeli vulnere pretiosior, & tinctâ veste candidior, licet peculiaris putetur privilegio sepulchri, sed omnium est communione suffragii. Non clauditur locis quod diffunditur meritis. Invocasti ubique Martyrem, ubique te exaudit ille qui honoratur in Martyre. Moderante itaque eo qui pensat vota tua, & dispensat munera sua, in tantum vicina praesentia efficacis praebebitur advocati, in quantum fuerit fides devota suscepti: oratio enim quæ castitatis, justitiae, eleemosinorum operibus adjuvatur, excedit mundum, penetrat paradílum, evolat usque ad ipsum summæ Majestatis, Angelo conferente, conspectum.

R. Honestum fecit, &c.

Lectio

QUÆ cùm ita sint, honoremus beatos Martyres, Principes fidei, Intercessores mundi, Präcones regni, Co-hæredes Dei. Quòd si dicas mihi, quid honoras in carne iam resoluta atque consumpta, de qua jam nulla Deo cura est? Et ubi est illud, Charissimi, quod ipsa Veritas loquitur per Prophetam? Pretiosa, inquit, in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Et iterum: Mihi autem valde honorandi sunt Amici tui, Deus. Honorare debemus Servos Dei, quanto magis Amicos Dei? De quibus alio loco dicitur: Dominus custodit oīnnia ossa eorum, & unum ex his non conteretur.

R. Desiderium animæ, &c.

HOnoro ergo in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices: honoro viventis memoriam, perennitatem virtutis. Honoro per confessionem Domini sacratos cineres: honoro in cineribus semina æternitatis. Honoro Corpus quod mihi Dominum meum ostendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem non honorent Corpus ilud Fideles, quod reverentur & Dæmones?

quod & affixerunt in supplicio , sed glo-
rificant in sepulchro. Honoro itaque
Corpus quod Christus honoravit in gla-
dio, quod cum Christo regnabit in Cœlo.
R. Stolâ jucunditatis , &c.

IN III. NOCTURNO.

Lectio viij.

*Lectio sancti Evangelii secundum
Matthæum. Cap. 10.*

IN illo tempore : dixit Jesus Discipu-
lis suis : Nolite arbitrari quia pacem
venerim mittere in terram : non veni pa-
cem mittere , sed gladium. Et reliqua.

Homilia sancti Hyeronimi Presbyteri.

SUPRA dixerat: Quod dico vobis in te-
nebris , dicte in lumine ; & quod in
aure auditis, prædicate super tecta. Nunc
infert quid post prædicationem sequatur.
Ad fidem Christi totus orbis contra se
divisus est , unaquæque domus & infide-
les & credentes habuit, & propterea bel-
lum missum est bonum , ut rumperetur
pax mala. Tale quid & in Genesi adver-
sus rebelles homines , qui moti fuerant
de Oriente , & turrem extruere festina-

bant, per quam Cœli alta penetrarent,
fecisse scribitur Deus, ut divideret lin-
guas eorum.

R. Corona aurea, &c.

Lectio viii.

Veni enim separare hominem adver-
sus patrem suum. Hic locus prope
iisdem verbis in Michæa Propheta scri-
bitur. Et notandum, ubicumque de ve-
teri Testamento testimonium ponitur:
utrum sensus tantum, an sermo conser-
tit. Qui amat patrem aut matrem plus
quam me, non est me dignus. Qui an-
te præmiserat: Non veni pacem mit-
tere, sed gladium, & dividere homines
adversus patrem & matrem, & nurum
& socrum; ne quis pietatem religioni
anteferat, subjicit dicens: Qui amat pa-
trem aut matrem plus quam me. Et in
Cantico legimus Canticorum: Ordina-
vit in me charitatem. Hic ordo in omni
affectu necessarius est: Ama post Deum,
patrem; ama matrem; ama filios.

R. Hic est verè Martyr, &c.

Lectio ix.

Ordo pulcherrimus! ad prædicatio-
nem mittit; docet pericula non ti-
menda, affectum subjicit religioni. Au-
xilium supratulerat, æs de zona excusserat.

C ij

Dura Evangelistarum conditio ! Unde ergo sumptus , unde victus necessaria ? Austeritatem mandatorum spe temperat promissorum : Qui recipit , inquiens , vos , me recipit ; & qui me recipit , recipit eum qui me misit ; ut in suscipiendo Apostolis , unusquisque credentium Christum se suscepisse arbitretur .

Te Deum laudamus , &c.

DIE III. INFRA OCTAVAM.

In secundo Nocturno.

Lectione iv.

Sermo sancti Bernardi Abbatis.

Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Audiat peccator , & irascatur ; dentibus suis fremat & tabescat. Deprehensus est in astutia sua ; cecidit in foveam quam fecit ; in laqueum incidit quem tetendit : invidiā siquidem Diaboli mors intravit in orbem terrarum ; sed ecce pretiosa facta est mors Sanctorum. Neque enim aliter , quam ipsa , hodie beatus Martyr cuius solemnia celebramus , morte corporis triumphavit : fecit siquidem de necessitate vir-

tutem; pœnam peccati in meritum glo-
riæ commutavit: fidelem se probavit in
modico, ut dignus inveniretur supra
multa constitui.

R. Honestum fecit, &c.

Lectio v.

Fidelem se probavit ei qui dederat,
cùm pro ejus amore universa con-
tempsit, omnia detrimentum faciens, &
arbitratus ut stercore, ut lucrifaceret
Christum. Sed fortè murmurat etiam ini-
micus: Pellem, inquiens, pro pelle, &
omnia quæ habet homo, dabit pro ani-
ma sua. Quid ergo? Putas quòd in ipsa
corporis sui vita, quam accepit à Do-
mino, infidelis inveniatur, ut vel ipsam
præferat illi? Ecce habes potestatein; ir-
rue in eum per satellites tuos, ut coarc-
tetur è duabus, aut à Domino necesse
habens, aut à corpore separari. Varia &
immania exquire genera tormentorum:
sed noveris te Martyri nostro fabricare
coronas.

R. Desiderium animæ, &c.

Lectio vi.

Coronabitur ergo, quia legitimè cer-
tavit: quia fideliter vicit; quia nec
blandimentis vitæ hujus, nec mortis
horrore à charitate Christi potuit separa-

ri. Quid nos ad hæc dicemus, Fratres? Congratulamur Martyri; sed jam gloria ejus, non sine nostra confusione est. Ecce enim beatus Cizius similis erat nobis, homo passibilis, eadem circumdatus infirmitate, & carni suæ eodem vinculo naturalis affectionis inhærens. Si ergo ille sic glorificavit Christum in corpore suo, & calicem salutaris accepit; quid nos retribuimus Domino pro omnibus quæ retribuit nobis?

Bz. Stolâ jucunditatis, &c.

IN LII. NOCTURNO.

Lectio vii.

*Lectio sancti Evangelii secundum
Matthæum. Cap. 10.*

IN illo tempore: dixit Jesus Discipulis suis: Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium. Et reliqua.

*De Homilia Sancti Hyeronimi
Presbyteri.*

Legimus in Propheta David: Ad excusandas excusationes in peccatis; quod multi peccatorum suorum quasi

justas prætendant occasiones , ut quod voluntate delinquent , videantur necessitate peccare. Dominus scrutator cordis & rerum , futuras cogitationes in singulis contuetur. Dixerat : Qui recipit vos , me recipit ; sed hoc præceptum multi Pseudoprophetæ , & falsi Prædicatores poterant impedire : medicatus est huic quoque scandalo , dicens : Qui recipit justum in nomine justi , mercedem justi accipiet.

R. Corona aurea super caput ejus , &c.

Lectio viij.

R Ursus poterat alias causari , & dicere : Paupertate prohibeor , tenuitas me detinet ut hospitalis esse possim ; Et hanc excusationem levissimo præcepto diluit , ut calicem aquæ frigidæ toto animo portigamus. Frigidæ , inquit , aquæ , non calidæ : ne & in calida , paupertatis ex penuria lignorum occasio quereretur. Tale quid & Apostolus ad Galatas præcepit : Communicet autem is qui catechizatur verbo , ei qui se catechizat in omnibus bonis .

R. Hic est verè Martyr , &c.

FT Discipulos ad Magistrorum refri-
geria cohortatur : quia poterat qui-
libet obtendere paupertatem , & præcep-
tum eludere , priusquam ille proponat ,
imminentem solvit quæstionem , dicens :
Nolite errare , Deus non irridetur . Quæ
enim seminaverit homo , hæc & metet .
Et est sensus : Frustra causaris inopiam ,
cùm aliud habeat conscientia tua : me
potes fallere cohortantem ; sed scito
quòd quantumcumque seminaveris , tan-
tum & messurus sis .

Te Deum laudamus , &c.

DIE IV. INFRA OCTAVAM.

In secundo Nocturno.

De Sermone sancti Bernardi Abbatis.

UT quid ergo ? non possumus &
nos cum beato Cizio Christi bi-
bere calicem ? Sed forte respondent ali-
qui : Possemus , si opportunitas non dees-
set ; sed persecutionis tempus cessavit .
At ego , fateor , non satis crediderim ita
dicentibus . Quid enim ? quotidie cedi-

tis punctioni acus unius, & mucroni
vos arbitramini posse resistere? In ini-
mis probate confictionibus, quam viri-
liter in majori certamine stare possitis.
Novit Dominus figmentum nostrum,
nec dat nobis tam forte certamen.

R. Honestum fecit illum Dominus, &c.

Lectio v.

BEATO CIZIO certamen forte dedit, ut
vinceret, & disceret quoniam om-
nium potentior est Sapientia. Vestrum
autem certamen, quale est, Fratres
mei? Quotidie vobis suggestur in cor-
dibus vestris: frange ordinem tuum,
anurmura, detrahe, age remissius, in-
firmitatem simula, responde ei qui for-
te durius locutus est, ut satisfasias de-
siderio tuo: nec dicitur cuiquam: Nisi
haec feceris, morieris; sed ut multum
cum difficultate & labore resistes animo
tuo.

R. Desiderium animæ, &c.

Lectio vi.

SI ergo in hujusmodi certamine peri-
clitamur; si vix resistimus; si inter-
dum etiam succubimus, quid in illo
tam gravi certamine faceremus? Si jun-
cis fragilibus cedit infirmitas nostra,

quomodo telis resisteret? Videlis quomodo ad nihilum redacti sumus: &, si-
cūt solent mulieres aut parvuli, pugna-
tes laudamus alios, pugnare ipsi non
possimus.

R. Stolâ jucunditatis, &c.

IN III. NOCTURNO.

Lectio vii.

Lectio sancti Evangelii secundum

Matthæum Cap. 10.

IN illo tempore: dixit Jesus Discipulis suis: Nolite arbitrari quia pacem
venerim mittere in terram: non veni pa-
cem mittere, sed gladium. Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

NON veni pacem in terram mittere.
Quomodo igitur præcipit, cùm ad
discipulentium domos ingrederentur, pa-
cem omnibus dicere? aut quomodo An-
geli clamabant: Gloria in excelsis Deo,
& in terra pax hominibus bonæ volun-
tatis? Quomodo & omnes Prophetæ
pacem tempore ipsius futuram prænun-
tiarunt? Quid videlicet præcipua sin-
gularisque pax præstatur, quando quod

tabe vel sanie corruptum est abscinditur
atque projicitur : quando factiosa & im-
proba pars repellitur , aut omnino des-
truitur ; sic certè Cœlis Terra conjungi
potest.

R. Corona aurea , &c.

Lectio viij.

Nam & Medicus hoc modo reli-
quum corpus conservat facile , si
quod reduci ad sanitatem non potest ,
exciderit atque abjecerit , & militiæ Dux
ad solvendam militum conspirationem ,
alterum in alterum concitat . Sic in turre
factum videmus , quando perniciosa il-
la pax , per vocis discrepantiam dissolu-
ta , tranquillam atque laudabilem pacem
reddidit . Sic etiam Paulus eos qui ad-
versi se conspirabant , dividebat atque
dissipabat . Nec enim semper concordia
laudanda , cùm etiam latrones magnâ
inter se concordiâ conspirare sciamus .
Non igitur ex proposito Christi , sed ex
mente animoque hominum vitiioso bel-
lum erumpit .

R. Hic est verè Martyr , &c.

Lectio ix.

Quid igitur ait : Non veni pacem
mittere ? Nolite , ait , existimare
harum rerum causam vos fuisse ; Ego

sum, qui, quoniam homines ad vitia infidelitatemque proclives sunt, hæc præparo. Non ergo, quasi præter expectationem vestram quidquam acciderit, turbatione aliquâ moveamini, cùm ideo venerim ut bellum committam. Hæc voluntas mea est, nulla vos invadat turbatio, quasi bello atque insidiis, orbe terrarum ferocius exagitato: nam si hoc modo pejorem partem conciderimus, tunc pars melior Cœlo copulabitur.

Te Deum laudamus, &c.

DIE V. INFRA OCTAVAM.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Sermo sancti Ambrosii Episcopi,

Serm. 77.

Exemplum Martyrum didicimus Christo credere; didicimus contumeliis vitam æternam querere; mortem didicimus non timere. Videte ergo quid Martyribus debeamus, in quo alter tortus est, ut aliis salvaretur; alter carnificem pertulit, ut Christum alter agnosceret;

ceret ; alter morti addictus est , ut alius
vitâ potiretur æternâ : & ad postremum ,
Sanctus occisus est , ut Peccator evade-
ret. Beati igitur Martyres , nec sibi vixe-
runt , nec sibi sunt mortui : exemplum
enim nobis reliquerunt , bene vivendo ,
conversationis , tolerando fortiter , pas-
sionis.

Rx. Honestum fecit , &c.

Lectio v.

Nam ideo Dominus per totum mun-
dum diversis in locis pati Martyres
voluit , ut tanquam idonei testes , nos
præsenti quodam fidei exemplo suæ con-
fessionis urgerent , ut humana fragilitas ,
quæ prædicationi dominicæ , aditu lon-
giore vix credit , vel præsenti oculorum
testimonio , Martyris crederet beatorum .
Cuncti igitur Martyres devotissimè per-
colendi sunt ; sed specialiter ii venerandi
sunt à nobis , quorum reliquias posside-
mus : illi enim nos orationibus adjuvant ,
isti etiam adjuvant passione . Cum his
autem nobis familiaritas est ; semper
enim nobiscum sunt , nobilcum mo-
rantur ; hoc est , & in corpore nos viven-
tes custodiunt , & de corpore recedentes
excipiunt .

Rx. Desiderium animæ , &c.

Cum sanctis ergo Martyribus quiescentes, evadimus inferi tenebras, eorum propriis meritis, attamen consocii sanctitate; Martyres enim inferni porta non possidet, quoniam eos paradisi regna suscipiunt. Nam videmus eos utique jam regnare: cernimus enim ab iis frequenter obsessos iminundissimis dæmonibus homines liberari, ita ut cœlesti medicinâ & captiva anima de diaboli laqueis eruantur, & ipse diabolus vinculis igneis alligatus, producatur de sua captivitate captivus, ut qui prædam paulò ante ceperat, ipse subdatur in prædam. Hæc & alia potiora mirabilia per Sanctos fieri omnibus notum est: & ideo, Fratres, veneremur eos in sâculo, quos defensores habere possumus in futuro.

R. Stolâ jucunditatis, &c.

IN III. NOCTURNO,

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum. Cap. 10.

IN illo tempore: dixit Jesus Discipulis suis: Nolite arbitrari quia pacem

venerim mittere in terram : non veni pa-
cem mittere , sed gladium. Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

Non dixit bellum , sed quod atro-
cius est , gladium. Quod si acer-
bius hæc & minus compositè dicta tibi
videtur , nequaquam mireris : nam nè
suspiciari quis possit verborum lenoci-
niis allectos fuisse Apostolos : ac etiam
ut asperitate verborum ad injustas con-
tumelias auditum præparet , non jucun-
dè rem asperam , sed asperrimè atque
durissimè protulit. Nec ista sibi suffece-
runt , sed latius naturam istius belli ac
singulas partes amplificans , omni bello
intestino atque civili multò magis pesti-
ferum ostendit , dicens : Veni enim sepa-
rare hominem adversus patrem suum , &
filiam adversus matrem suam , & nurum
adversus socrum suum , & inimici ho-
minis domestici ejus.

B. Corona aurea , &c.

Lectione viii.

Magnum omnino ac super homi-
nem est , quod qui primi hæc au-
dierint , libenter suscipere & aliis per-
suadere potuerunt. Et quanquam non ip-
se , sed hominum improbitas horum om-
nium causa futura esset , se tamen factu-

E ij

rum omnia dicit : talis quippe scriptura-
rum est consuetudo. Ut enim etiam ali-
bi dicitur : Dedit ipsis Deus oculos nè
videant : sic etiam in hoc loco , ut
quemadmodum diximus , hæc omnia
præmeditati atque his verbis stabiliti ,
cum opprobriis & contumeliis peteren-
tur , minus turbari possent.

R. Hic est verè Martyr , &c.

Lectio ix.

Si autem graviora hæc cui piam videan-
tur , priscam historiam animo verset .
Hoc enim ipsum & superioribus tempori-
bus contigit , quod maximo argumento est
cognata esse vetera novis ; & eundem es-
se qui hæc dicat , & illa imperavit . Ju-
dæis enim tunc pepercit , cum singuli
proximos suos interemissent : sic etiam
quando vitulum consecrarunt , & quan-
do Beëlphégor dedicarunt . Ubi ergo
sunt qui dicere audent : Pestifer est ille
Deus ; hic propitius atque misericordis ?

Te Deum laudamus , &c.

DIE VI. INFRA OCTAVAM.

*Fit de Nativitate sancti Joannis Bap-
tista sine commemoratione Octavæ sancte
Cizii.*

DIE VII. INFRA OCTAVAM
Sancti Cizii.

Fit de Octava Nativitatis sancti Joannis Baptiste cum commemoratione Octavæ sancti Cizii. Vesperæ de Octava sancti Cizii.

I N D I E O C T A V A.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

De Sermone sancti Augustini Episcopi.

P Atienter permittunt ægroti se à Medicis secari, uri & variis amaritudinum confectionibus anxiari, ut temporali tantum restituantur sanitati: quanto magis Vir beatus longanimiter toleravit omnem acerbitatem tormentorum temporalium, ut coronaretur in misericordia & miserationibus, & in bonis satiaretur desiderium suum? In torculari itaque conculeari voluit, ut tanquam uva matura in vinum deficeret, & vi-
num malorum granatorum Dilecto suo.

propinaret, quo mentes religiosè ebriatæ
sciunr utiliter conculcare, & ad æternæ
irretortis oculis anhelare.

R. Honestum fecit, &c.

Lectio v.

Qui ergo in tyrocinio suo mundanas
contempñit divitias, qui corpora-
les etiam refrænavit illecebras, qui in
provectu militiæ suæ multas est perpessus
injurias, in perfectione sacrificii nil sibi
reservans, seipsum obtulit holocaustum,
bibens illum calicem pretiosum, quem
sedens ad magnam mensam sacræ lectio-
nis, sibi priùs ab invitatore suo viderat
appositum. Cujus mors quantumcum-
que videatur in conspectu reproborum
despicabilis, in oculis tamen ejus est
pretiosa, qui in Sanctis suis est mira-
bilis.

R. Desiderium animæ, &c.

Lectio vi.

Ipse enim primò vocavit militem suum,
ipse justificavit, ipse magnificavit,
ipse dedit ei pugnare, ipse dedit & vin-
cere. Longè est dissimilis hæc militia
mundanæ militiæ, in qua victores existi-
mantur qui quod male desiderant asse-
quuntur, qui lætantur cùm malefeci-
rint, & exultant in rebus pessimis. In

christiano ergo agone manifesta est pœna , occulta victoria , secundum quod ex persona Martyrum clamat Psalmista : Da nobis auxilium de tribulacione , quia vana est salus hominis ; in Deo faciemus virtutem . Tanquam si dicerent ; Victoria nostra , gloria nostra intus est , non foris est ; foris despecti , intus dilecti .

R. Stolâ jucunditatis , &c.

IN III. NOCTURNO.

Lectio iv.

*Lectio sancti Evangelii secundum
Matthæum. Cap. 10.*

IN illo tempore : dixit Jesus Discipulis suis : Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram : non veni pacem mittere , sed gladium . Et reliqua .

Homilia sancti Ambrosii Episcopi .

Cum in omnibus ferè Evangelii locis spiritualis intellectus operetur , tamen in præsenti maximè : Et nè quem duritia nudæ expositionis offendat , spirituali altitudine sensus series temperanda est , præsertim cùm sacrosancta Religio moralibus disciplinis & mitibus pietatis

exemplis, etiam fidei exules, ad reverentiam tamen sui clementer inviteret, ut præviâ à fidei disciplinâ, mansuetudine sui, superstitionum dura dissolvat, & obnoxias erroribus mentes cogat etiam fide credere, quas potuit pietate mulcere. Etenim cum fidei alta peccatoribus non capiuntur infirmis, per ea quæ præcepta sunt, ea quæ veneranda sunt, æstimantur; ut iusta de justo, sancta de sancto, bonorum suorum bonum testentur authorem.

R. Corona aurea, &c.

Lectio viii.

Frgo Dominum illum qui simul divinitatis reverentiam & pietatis gratiam suâ lege complexus est, dicens: Diliges Dominum Deum tuum, diliges Proximum tuum; ita nunc muratum esse opinabimur, ut abolere necessitudinem nomina, collidere pietatis affectus, charissimorum pignorum dissidia mandasse credamus? Et quomodo ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum? Quomodo ipse dicit: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, si parentes à filiis, filios à parentibus dissidio necessitudinis separaturus adyenit? Quomodo

maledictus

maledictus qui non honorat patrem, religiosus qui deserit?

R. Hic est verè Martyr, &c.

Lectio ix.

Sed si advertamus quia prima causa Religionis, secunda pietatis est, endandam etiam hanc existimabimus quæstionem: oportet enim ut divinis humana posthabeas. Nam si officium parentibus exhibendum est, quanto magis authori parentum, cui gratiam etiam pro parentibus tuis debes, aut si illi omnino non recognoscunt parentem, quemadmodum tu recognoscas? Non igitur dicit renunciandum esse pignoribus, sed Deum omnibus præferendum. Non diligere parentes, sed Deo præferre prohiberis: etenim naturæ pignora, Domini beneficia sunt.

Te Deum laudamus, &c.

DIE XVII. JULI.

In Festo sancti Alexii Confessoris non Pontificis Duplici.

Oratio. Deus qui nos beatissimi Alexii, &c. de Communi. In primo Nocturno Lectiones de scriptura occurrente. In se-

etundo Nocturno Lectio quarta , Alexius
Romanorum nobilissimus , &c. ut in
Breviario.

R. Honestum fecit illum Domi-
nus , &c.

Lectio v.

Sermo beati Petri Damiani de
Sancto Alexio.

HOdierna festivitas , Dilectissimi , non modò beati Alexii nos provo-
cat celebrare triumphum , sed etiam pa-
rentes ejus ad salutiferæ proponit ædifi-
cationis exemplum . Nam cùm tot opi-
bus exuberarent , quotidie non cessa-
bant viduis ac pupillis , & quibuslibet
indigentibus sumptuosas parare mensas ,
cùm ipsi semel in die solo pane & aquâ
essent plerumque contenti . Dignum ita-
que fuit ut de tam sancto conjugalis pu-
dicitiae thalamo , tam præclara Soboles
nasceretur , ut bonæ arboris ramus per
acceptæ gratiæ cœlestis incrementa suc-
crescens , dignos genere suo honorum
operum fructus offerrent . Constat quod
vir iste mirabilis Alexius inter ipsa nup-
tialium gaudiorum festiva solemnia ,

uxorem, salvâ utriusque virginitate, dimisit; parentes abjecit, & Romanæ Urbis habitationem Edessæ peregrinatione mutavit. Postposuit amori Christi regii generis conjugem; ejusque secutus opinionem, contemptus amplissimas facultates.

R. Amavit eum Dominus, &c.

Lectio vij.

Per decem & septem annos in Edessæ Civitate rerum omnium inopiam pertulit, & domum patriam felici postliminio rediens ut soli Deo fieret veraciter notus, omniam fefellit aspectus. Illic post verbera servulorum, post contumelias irridentium, post intolerabiles injurias feliciter obiit. Mirabilis Deus in Sanctis suis! In hujus invicti Militis sui spectaculi tyrocinio tanto mirabilior extitit, quanto per hunc contra carnis illecebras, contra fraudis diabolicæ tentamenta novo atque insolito martyrii genere dimicavit: Martyribus enim carcera erat poena; isti propria domuserat materia temptationis. Illos torquebat manus armata carnificum, istum gravius puniebat conspecta quotidie pietas genitorum. Cumque se omnis hujus mundi gloria huic gratiis offerret, immo etiam nolenti

se violenter ingereret, omnia repulit.
Onus insignem cœlestis Militiæ Bellatores! qui cùm terrena quæque dimisit, supernæ iussionis mandata complevit: cùm verò ad propria rediit, abrenunciator egregius metam divinæ Legis excessit. Immensurabilem hic possidet gloriam, qui non tenuit in labore mensuram.

R. Iste homo perfecit, &c.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium, Ecce nos reliquimus omnia, ut in Communi Apostolorum In secundis Vesperis commemoratio sanctæ Symphorosæ cum septem Filiis Martyribus.

DIE XX. JULII.

In festo sanctæ Margaritæ Virginis & Martyris. Semiduplex.

Omnia de Communi Virginum & Martyrum, præter hæc quæ sequuntur. Oratio Indulgentiam nobis, &c. Lectio primi Nocturni de scriptura occurrente.

IN

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

MArgarita, quæ & Maria, Antiochiae Pisidiæ, patre Edesio Idolorum Sacerdote nata, à teneris annis Christianæ Religioni addicta, baptizata est. Quæ cùm eximiæ esset pulchritudinis, à Præfecto Olybrio adamatur. Cùmque eam sibi sisti juberet, ita illam alloquitur: Tuum nobis, Puella, & nomen & Religionem edicito. Tum illa: Margarita, inquit, vocor; genere sum nobilis, Religione Christiana.

R. Propter veritatem, &c.

Lectio v.

AT Præses: Duo prima convenientia sunt, tertium vero absurditas est. Nam quid stultius quam ut Deum sibi quis faciat crucifixum? Ad hæc Virgo: Unde, dic oro, didicisti Dominum Jesum fuisse crucifixum? Tum Præses: Ex Libris Christianorum. Cui Margarita: Quænam verecundia est ut cùm in iisdem Libris legatur & pœna Christi & gloria, alterum credatis, alterum refutatis?

R. Dilexisti justitiam, &c.

His vehementer irâ accensus Præfec-
tus, varia tormentorum genera in
sancto illo corpusculo consumpsit. Pri-
mùm enim virgis cæsam, deinde ungu-
lis fossam in carcerein trudi jubet, ubi
& spectro Dæmonis, formâ terrifici dra-
conis appetitur: sed ad signum Crucis
tota vis Diaboli prosternitur. Produc-
tur iterum Virgo, & cùm in confessione
fidei constantior permaneret, ardentibus
facibus latera ejus exuruntur. Denique
multis superatis tormentis, truncato ca-
pite, victorem per tot coronas spiritum
Cœlum excepit.

Bx. Afferentur Regi Virgines, &c.

IN III. NOCTURNO.

*Homilia in Evangelium, Simile est
Regnum Cœlorum thesauro, &c. ut in
Communi non Virginum. In secundis
Vesperis commemoratione sanctæ Praxedis.*

DIE XVI. AUGUSTI.

*In Festo Natalis sancti Cizii Martyris.
Duplex.*

*Omnia ut in die festo Translationis, 19.
Junii, pag. 5.*

DIE XXVIII. SEPTEMBRIS,

In Festo sancti Exuperii Episcopi
Tolosani.

*Omnia de Communi unius Confessoris
Pontificis, prater ea quæ sequuntur.*

O R A T I O.

OMnipotens sempiterne Deus, qui beatum Exuperium Confessorem tuum atque Pontificem doctrinis ac virtutibus clarere fecisti, concede plebi tue ut ejus assiduâ intercessione particeps fiat cœlestis gratiæ. Per Dominum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

I N II. NOCTURNO.

Lectio iv.

De Epistola sancti Hyeronimi Presbyteri ad Rusticum Monachum.

Sanctus Exuperius Tolosæ Episcopus, Viduæ Sareptensis imitator, esuriens pascit alios, & ore pallente jejuniis fame torquetur alienâ, omnemque subs-

G ij



tantiam Christi visceribus erogavit. Nihil illo ditius qui Corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro ; qui avaritiam ejecit è Templo ; qui absque funiculo & increpatione cathedras vendentium columbas , idest, dona sancti Spiritus , mensasque subvertit. Mammonæ , & Numulariorum æra dispersit ; ut domus Dei domus vocetur orationis , non latronum spelunca. Hujus è vicino sectare vestigia , & cæterorum qui virtutum illius similes sunt, quos Sacerdotium & humiliores facit & pauperes.

R. Inveni David , &c.

Lectio v.

De ejusdem sancti Hyeronimi Presbyteri
Epistola ad Geruntiam Viduam.

QUOD rari huc usque residemus, non nostri meriti , sed Domini misericordiae est , innumerabiles & ferocissimæ nationes universas Gallias occuparunt. Quidquid inter Alpes & Pyrenæum est , quod Oceano & Rheno includitur , Quadus , Vandalus , Sarmata , Alani , & , ò lugenda Respublica ! hostes Pannonii vastarunt. Etenim Assur venit cum illis , Magunciacum nobilis quondam

Civitas capta atque subversa est, & in Ecclesia multa hominum millia trucidata.
R. Posui adjutorium, &c.

Lectio vij.

VAngiones longâ obsidione deleti, Rhemorum Urbs præpotens, Ambiani, Atrebates, extremique hominum Morini, Tornacus, Nemetes, Argentoratus translati in Germaniam Aquitaniæ, novemque populorum Lugdunensis & Narbonensis Provinciæ, præter paucas Urbes, populata sunt omnia, quas & ipsas foris gladius, intus vastat fames. Non possum absque lacrymis Tolosæ facere mentionem, quæ ut huc usque non rueret sancti Episcopi Exuperii merita præstiterunt.

R. Iste est qui ante Deum, &c.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium, Homo quidam peregrè, &c. de Communi Confessoris Pontificis.

DIE XVI. OCTOBRIS.

In Festo sancti Bertrandi Episcopi & Confessoris. Duplex.

*Oratio, Da quæsumus, &c. Omnia
de Communi Confessoris Pontificis, pre-
ter ea quæ sequuntur. In primo Nocturno
Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Bertrandus Convenarum Episcopus patrem habuit nobilissimum virum in Vasconibus Athonem Raymundum, matrem verò filiam Guillelmi Comitis Tolosani. Natus est apud Jetium Castrum quod Jordanis Insula in præsens vocatur. Licet à pueritia virtutis amantissimus fuerit, militiæ tamen adolescens nomen dedit; sed animi integritate tantā, ut inanem gloriam, rapinas, audaciam & alia id genus flagitia militibus familiaria à se procul amandaret. Suis opibus egenorum inopiam sublevabat, in alios satis liberalis. His artibus, Nobilium Ignobiliumque gratiam sibi conciliabat.

R. Inveni David, &c.

Lectio v.

In tanta bonorum & honorum quibus in sæculo gaudebat affluentia, cùm transgredi posset, non est transgressus;

imò beatum Martinum imitatus, cingulum militare abjecit, militiæ pertæsus. Quare quæ sursum sunt quæsiturus, Ecclesiæ Tolosanæ Canonicorum Regulare Cœtui Religioso se adjunxit, in quo pietati, prudentiæ, silentio & disciplinæ religiosæ sedulam operam nayavit. Charitate & humilitate cunctoruim animos & benevolentiam sibi devinciebat. Archidiaconi Tolosani gradu insignitus, tam strenuè hujus dignitatis partes obivit, ut Convenarum Episcopo mortuo, unum Bertrandum sibi postularet in Antistitem universus Convenarum Clerus.

¶ Posui adjutorium, &c.

Lectio vj.

Sic Convenarum Præsul renunciatus à Guillelmo Auscitano Archiepiscopo avunculo suo, in divæ Mariæ Auscitanae Templo characterem & insignia consecrationis accepit. Inde cùm ad gregem suum se recepisset, Cathedrale Templum clauistro cingi curavit. Canonicorum sancti Augustini regulam profitentium Cœtum in eo coëgit: Clero & Populo vitæ exemplo prælucere studuit. Dicebam, Paræfias singulas adeundo, vigilantissimus obivit. Quod officii genus, cùm jam senex sedulus tam urgeret, in

febrim lapsus, ad Ecclesiam Cathedralem deferri voluit. Ibi Deo & Deiparæ Virgini cùm animam commendasset, suosque pontificiâ benedictione munivisset, sanctitate clarus, diem clausit extre-
num.

R. Iste est qui ante Deum, &c

IN III. NOCTURNO.

Evangelium cum Homilia, Homo quidam peregrè, &c. de Communi Confessoris Pontificis. Missa, Statuit, &c.

DIE XXI. OCTOBRIS.

In Festo sanctorum Ursulæ & Sociarum ejus, Virginum & Martyrum.

Semiduplex.

Omnia de Communi, præter hæc que sequuntur. Oratio ut in Breviario. Com- memoratio sancti Hilarionis Abbatis. Lec- tiones primi Nocturni de scriptura occur- rente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Gratiano Imperatorore, Flavius Cle- mens Maximus, Romani exercitus in

in Britannia Dux, arreptâ tyrannide, Imperator à militibus acclamatur. Inde copias in Gallias transmittens, ab infensis Gratiano legionibus exceptus, Imperium sibi corroborat. Cùinque Armoriorum uberem regionem, ejectis antiquis habitatoribus, Britannicis militibus quos secum duxerat, divisisset; quò novas colonias propagarent in posteros, Connani Britannici Reguli, quem Britannorum Ducebat in exercitu, consilio, missa legatione in Britanniam, singulis militibus novis colonis singulas Virgines conjugio fœderandas postulat.

Ex. Propter veritatem, &c.

Lectio v.

HAUD visa Britannæ Regulis absurdæ petitio: Unde in gratiam novi Imperatoris, & quod filias suas non nisi gentilibus suis, iisque donatis novâ Provinciâ prædivitibus honestissimè collocandas scirent, pro militibus delectæ sunt Virgines, quarum princeps erat Ursula Dionoci Cornubiæ Regis filia, despontata Connano Duci Britannorum militum in exercitu Maximi. Cunctæ igitur Londini collectæ, impositæ sunt invitæ naviis, solventes nautæ dum Armoriorum regionem cogitant, à sœva

procella in Germanicum littus projiciuntur.

R. Dilexisti justitiam, &c.

Lectio vj.

Contigit adesse tunc ibi Hunnorū copias, quas à Gratiano Imperatore adversus Maximum evocatas ferunt. Nacti igitur Barbari præclaras illas Virgines, impotenti libidinis æstu furentes, in eas irruunt. Sed cum hortante Ursulâ, mortem potius oppetere, quam virginei pudoris jacturam pati invicto animi vi-gore decrevissent, Hunni in rabiem im-manitatis conversi, ad unam omnes truci-dant; sicque Ursula super comitum suarum, velut cœlestium margaritarum pretiosum acervum, gloriosa victima procumbens, purpurâ pro Christo fusi sanguinis decorata, triumphatorem tot Virginum exercitum, geminis neimpe virginitatis & martyrii laureis insignem ducens, Cœlum victrix intravit: Quarum corpora Colonienses summo honore condiderunt, earumque illustrem agonem Christianus orbis florenti semper memoriam celebrat.

R. Afferentur Regi Virgines, &c.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium, Simile est Regnum Cœlorum decem Virginibus, &c. de Communi Virginum. ix. Lectio sancti Hilarionis; ex duabus fiat una. In Laudibus commemoratione sancti Hilario-nis. Missa, Loquebar, de Communi, cum secundis Vesperis.

DIE XXIX. NOVEMBRI.

In Festo sancti Saturnini Episcopi Tolosani, Martyris.

Omnia de Communi unius Martyris, præter Orationem & Lectiones secundi Nocturni.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne Deus, qui hunc diem beati Saturnini Martyris tui atque Pontificis passione consecrasti, concede propitius, ut cuius martyrii gloriam celebramus in terris, ejus consortes fieri mereamur in cœlis. Per Dominum nostrum, &c.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Saturninus Tolosæ primus Episcopus ad eam Civitatem Româ missus cum pervenisset, cœperunt Dæmonum qui in ea Urbe colebantur vaticinia cessare; cuius rei causam dum investigarent vanæ superstitionis Antistites, tandem intelligunt Saturninum Christi virtute Dæmonium ora sic obturasse, nè possent consulentibus oracula reddere. Cùm enim ipsi beato Pontifici ad Ecclesiam id temporis parvulam juxta Capitolium, quod inter domum in qua habitabat & ipsam domum Dei medium erat, frequens iter esset ac reditus, ejus præsentiam fallax Dæmonum turba non potuit sustinere.

R. Honestum fecit, &c.

Lectio v.

Quâdam autem die, parato ad victimam Tauro, Saturninum ad Officium solemine venientem, quidam ex illa malignantium turba eminùs agnoscens, exclamat adesse Deorum adversarium: comprehensus verò, cùm Dæmoniis immolare cogeretur, liberè respondit unum se, verum & solum Deum agnoscere,

agnoscere, huic soli se laudes & hostias
immolaturum; Deos autem illorum Dæ-
mones esse, quos non tam hostiis pecu-
dum, quam animarum suarum exitio
honorabant; nec posse animum inducere
ut eos coleret quibus terrori se esse intel-
ligeret.

Ex. Desiderium animæ, &c.

Lectio vj.

AD hujusmodi verba excandescens
impia turba, tauro illo qui in vic-
timam erat præparatus, ad ministerium
suæ crudelitatis utuntur: postremâ enim
funis parte quæ ad posteriora tauri de-
fluebat, sancti Viri pedes alligant, ac-
tumque stimulis acrioribus taurum è su-
periori Capitolii parte in plana præci-
pitant, ac per ipsius Capitolii gradus
lapideos, capite colliso, cerebro excus-
so, ac toto corpore lacerato, sanctam
animam Christus accepit; exanime verò
corpus ad eum locum, tauro furente, rup-
to fune, perductum est, ubi Christianis
ob furorem Gentilium illud humare me-
tuentibus, duæ mulieres sexûs imbecil-
litatem fidei virtute superantes, ligneo
immissum feretro, quam maximè pro-
fundo loco ita condiderunt, ut veneran-
das reliquias non tam sepelire, quam

abscondere viderentur ; quas post annos aliquot in ipsius nominis Ecclesia collatatas, unà cum aliis plurimorum Sanc- torum reliquiis plebs fidelis piâ devotio- ne veneratur.

Bz. Stolâ jucunditatis, &c.

DIE IV. DECEMBRIS.

In Festo sancte Barbaræ Virginis & Martyris. Semiduplex.

*Omnia de Communi, pr.
sequuntur. Oratio, Deus
terea. Commemoratio Feria
Nocturno Lectiones de scr
iente.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

BArbara Virgo Nicomediæ in perse-
cutione Julii Maximini passa est. A
patre siquidem Dioscoro viro nobili,
sed gentili, in alta & munita turri ob-
egregiam ejus pulchritudinem custodien-
da includitur; ubi balneum & duas fe-
nestratas quibus lumen exciperet, in ea fie-
ri jubet : Barbara vero, absente patre,

tertiam addi fenestram , & labri pavimentum Crucis imagine ornari voluit . Reversus pater de tercia fenestra quærita Virgo occasionem nacta de sacrosanctæ Trinitatis mysterio multa apertè & divinè differit , ac pluribus verbis ad salutem Christi fidem patrem est cohortata ,

R^e. Propter veritatem , &c.

Lectio v.

AT pater non solum suæ impietatis stimulis , sed etiam maximo Cæsar is timore adductus , qui fidem Christi immaniter persequebatur , filiam inodis omnibus nititur ad idolatriam revocare ; cùmque id consequi non posset Provinciae Præsidi eam tradit , qui primùm Virginem blanditiis aggressus , ubi se videt nihil efficere , nudam nervis bubulis crudeliter cædi , deinde præacutis testulis vulnera perfricari imperat . Post hæc in carcerem truditur , ubi clariſſimâ luce & Christi Domini præsentia ad reliqua subeunda certamina mirificè confirmatur .

R^e. Dilexisti justitiam , &c.

Lectio vi.

SED cùm iterum Præsidi sisteretur , & constantior in fidei confessione persistet , ferreis ungulis dilaniatur ; lateri-

bus ardentes faces admoventur ; caput ferreis malleis contunditur ; mamilla præscinduntur ; direptis vestibus ignominiae causâ per publica loca perducitur. Quibus tormentis fortiter & invictè superatis , tandem à patre impietatis fure re amente , capite truncato , gloriosum martyrii agonem consuminavit.

R. Afferentur Regi Virgines , &c.

IN III. NOCTURNO.

Evangelium cum Homilia , Simile est Regnum Cœlorum thesauro , &c. de Communi. In Laudibus commemoratio Feria. Missa, Loquebantur. Vesperæ de sequenti duplices , commemoratio præcedentis & Feria.

FINIS.

